

Q. D. B. V. 4
DISPUTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
SISTENS

THERAPIAM ANHELATIONIS,

QVAM
AUXILIANTE NUMINE DIVINO,
AMPLISSIMA FACULTATE MEDICA
IN HAC PERANTIQVA HIERANA GRATIOSE INDULGENTE,
SUB PRÆSIDIO

DN. HIERONYMI *Rudolff*,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,
FACULTATIS MEDICÆ AC PHILOSOPHICÆ ASSESSORIS ORDINARIJ, NEC
NON CHYMIÆ ET MATHEMATUM PROFESSORIS PUBLICI,

DOMINI PATRONI ATQVE FAUTORIS SUI ÆTERNUM
DEVENERANDI,

PRO GRADU DOCTORALI
IN ARTE MEDICA RITE ET MORE MAJORUM
CONSEQVENDO,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

A. ET R.

DANIEL EHRENFRIED KIERIZ,

Martisb. Misn.

DIE XXVIII. APRIL. ANNI MDCC XXI.
HORIS CONSVETIS IN AULA COLLEGII MAJORIS.

ERFORDIÆ,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.



su am
traher
tero
perh
per r
spira
tam o
vel sub
Sic Jo
nus: se
circa os
missione.



PROŒMIUM.



Respiratio, velut actio ad vitalitatem, quàm maxime necessaria, nullo non tempore à Medicis magni fuerit habita, ita, ut etiam occasionem subministraverit notissimo proverbio physiologico: quod Respiratio & Vita pari passu ambulent; attamen huic dignitati haud parum detrudere videtur tum opinio illorum, qui foetum in utero materno citra respirationem vivum & vitalem perhibent, tum observationes desumptæ ab illis, qui per notabile temporis intervallum, casu quodam respiratione prorsus cessante, pro mortuis habiti in vitam denuo rediere; id quod de suffocatis quibusdam vel sub aquis vel laqueo testantur Pandectæ Medicæ. Sic *Joubertum c. 1. de affect. Thorac.* asserentem habemus: se laqueo strangulatos aliquot, utcunque spuma circa os præsentis, post remotum laqueum, sanguinis missione, & vini meracioris haustu restituisse; etiamsi

Aph. 43. Sect. 2. HIPPOCRATES tales pro deploratis habeat. Pariter *Pechlinus Tr. de Aëris & aliment. defect.* exemplum mulieris laqueo strangulatæ recenset, quæ respiratione & pulsu jam deficientibus, spuma in labrum effusa, & omnibus conclamatis, à liberali Spirit. sal. armoniaci infusione plane revixerit, simulque affirmat, diligenti opera adhibita, plures quos jam omnium vota, ac testis sensus damnarunt, in pristinam vitam restitui posse. Similia vitæ superstitis exempla in illis, qui aquis per sedecim integras horas, imo & per triduum fuere submersi, refert. *Langelot. Epist. ad Natur. Curios. & Hagendorn Histor. Medico-Physic. Cent. III.* mentione simul ibidem facta, quomodo ejusmodi miseri ex mortis faucibus iterum erepti fuerint. Et quem Medicorum latet mulierum hysteriarum tragœdia! in quibus sæpenumero per aliquot horas ne tantillum respirationis observatur, quæ tamen haud raro, evidenti vitæ adhuc superstitis argumento, postmodum nunc sponte sua, nunc ope medica restituntur. Verum hæc allegata & similia exempla rariora necessitati & utilitati respirationis nihil omnino derogant, siquidem ea, quæ in foro naturæ & medico quandoque miraculosè contingunt, exceptionem à regula validam minime faciunt; insuper minima in ejusmodi phænomenis circumstantia, non, ut debet, observata, quam maxime rem ipsam variare potest, imo à cessatione respirationis ad sensum ad cessationem omnimodam argumentando progredi haud licet; quemadmodum & pulsum in carpo manûs interdum non perferunt Medici, motu

nihil-

nihilominus sanguinis obscuro in vasis superioribus superflite, id quod maximopere in suffocatione hysterica tenendum est. Atque hæc ipsa respirationis in corpore humano dignitas, summaque ad statum naturalem conservandum necessitas mihi ansam suppeditavit, hac Dissertatione Inaugurali in ejus pathologiam inquirendi, & speciatim prædictæ functionis imminutæ, sub nomine Dispnoeæ venientis Therapiam accuratius evolvendi, quandoquidem in praxi clinica affectus iste frequentissime observatur. Ut autem hoc negotium ex voto succedat, humillimis precibus D. T. O. M. adiutorem invoco, & L. B. favorem expeto atque exopto.

Thes. I.



Um in mechanicis rectum obliqui optima consuevit esse norma, in naturalibus id quod fit secundum naturam illius, quod fit contra eandem; ita in Medicina à cognitione partium & functionum physiologica ad pathologicam, atque sic tandem ad therapiam felicem, ratione & experientia suffultam, optimus fit pariter transitus, secundum illud: qui bene cognoscit, bene curat, impossibile autem est rite cognoscere, an, quomodo, & quantum in nosologia recessus à statu naturali obtigerit, nisi prius constet, quomodo se & partes & functiones secundum naturam habeant, qualiterque ad conservationem sanitatis juxta normam naturalem operentur.

Thes. II.

Ex quo nunc sua sponte liquet, me operæ pretium facturum, si doctrinæ de respiratione læsæ, doctrinam de respiratione integra præmiserim, in qua locum, ubi hæc functio celebratur, organa sive instrumenta, quibus potissimum peragitur,

gitur, materiam, cujus beneficio absolvitur, modum quo instituitur, & succedit, & denique usum, cui inservit, meminisse juvabit. Igitur, quod primum concernit respirationis negotium in medio ventre corporis nostri, sive thorace, qui claviculis, vertebrae dorsae, costis veris & spuris, musculis intercostalibus, sterno & diaphragmate, circum circa cingitur, celebrari manifestum est, quas inter partes hæc intercedit differentia, quod alia existant immobiles, mobilibus basim, sive fulcrum præbentes; alia mobiles ipsam actionem instituentes; ad priores spectant sternum, vertebrae dorsales, claviculae, ad posteriores costae à musculis intercostalibus commotæ, & diaphragma; pulmones vero non tam ad respirationis inchoationem, quam ejusdem continuationem facti videntur, quemadmodum ex sequentibus patebit.

Thes. III.

Quoad secundum instrumenta respirationis, ratione structurae mechanicae, sive conformationis specificae, respirationis actum perficientia, in hoc negotio æqualis dignitatis non sunt, dum alia activa, alia vero magis passiva deprehenduntur; ad illa spectant musculi intercostales, & triangulares, una cum diaphragmate, ad hæc pulmones cum musculis exterioribus, subclavio nempe, sacro-lumbis, & costarum levatoribus, cujus disparitatis ratio in eo potissimum consistit, quod instrumenta activa in respiratione inchoanda omne punctum ferant, quin & primi pulmonum motores deprehendantur, spatium nempe thoracis ampliato, pulmonibus pariter ab aere influente explicandis, ad debitam actus inspiratorii continuationem, spatium concedente. Etenim pulmones ob substantiæ suæ mollitiem, teneritatem, raritatemque ad motus tam validos inchoandos, & ratione & experientia suffragante, inepti existunt, quatenus ex meris vesiculis, vesiculae ex membranulis, membranulae ex fibrillis tenerissimis coaluere, atque compagem ex levissimis membranulis conflata repræsentant, quæ extensæ, & sinuatae infinitas vesiculas fenestratas & orbiculares efformant, ita inter se connexæ, ut ex trachea in earum proximas, atque ab his in alias labyrinthi in modum

aditus

aditus pateat. *vid. Malpighius Epist. de Pulm. fabr. quæ mirabilis pulmonum structura etiam HIPPOCRATI ansam dedit illos lib. de Ven. appellandi viscus Σπυγώδες Ciceroni lib. 2. de Nat. Deor. ut pulmonibus inesse dixerint assimilem spongiæ molliem, Macrobio L. 7. Saturn. c. 15. pulmonem appellandi substantiam multis meatibus distinctam, rimisque interpatentem; Plinio Lib. 2. A. N. spumofum & inanibus fistulis cavum. Hanc ineptitudinem ad motus respiratorios instituendos, ulterius evincunt experimenta anatomica hoc sine instituta, quando scilicet à levi diaphragmatis, imprimis circa speculum, in sectione brutorum vivorum vulneratione, pulmones in momento subsidere & à motu ferriari observatum est; & contra omnibus musculis in pectore & abdomine abscissis, solis intercostalibus illæsis manentibus, animal libere adhuc respirasse, quid? quod pulmone quiescente diaphragma nihilominus adhuc aliquantisper moveri in vulneribus thoracem perforantibus, ut & in apoplecticis visum est.*

Thes. IV.

Ideoque primum motus respiratorii momentum dubio procul in thorace ejus musculis situm est, dum nempe hi illum explicant, qui spatium concedit pulmonibus, ab aere explicandis, ita ut molles tantum ex necessitate connexionis amplificentur, & ab aere repleantur, quod quidem à motibus costarum, atque diaphragmatis reprecocis instituitur, quandoquidem illorum beneficio & thorax elevatur, & simul amplius spatium acquirit, simul ac prædictarum partium fibrillæ nervæ cum nervis pnevmonicis pulmonum, & arteriæ asperæ a sanguine vitali, ad ejusmodi motus suscipiendos instigati fuerint, cui tanquam primo motori in fabrica corporis humani hoc datum est, ut organa principio animali famulantia impellere, & ad motus peculiare in gratiam œconomiz animalis factæ, tectæ servandæ, determinare queat.

Thes. V.

Quoad tertium materia respirationis genuina & immediata aer existit, isque & cognata gravitate, atque hinc descendente vi premendi, & virtute elastica, & inde orto robore expan-

expansivo, in foro naturæ conspicuus, juxta quam duplicem qualitatem aptus cernitur, qui pulmonum vesiculas irruat, expandat, partes vicinas tensiles, communionem quadam cum valis pulmonalibus gaudentes, in consensum rapiat, unde non potest non tam pulmonum, quam ipsius thoracis inflatio & versus omnem ambitum elevatio sublequi, aere cum primis thoracis interno simul expanso & a gravitate sua antea pulmones premente, in hoc rarefactionis statu tantisper remittente. Atque hoc pacto aer cum sanguine intra pulmones tam in arteriis atque venis, quam in ipsis etiam pulmonum cellulis commiscetur, ut juxta connotam illam vim elasticam, solo motu, & formaliter peculiare & necessarium ad vitalitatem officium peragat, quod quidem distendendo, atque rarefaciendo corpora prementia, & renisum quandam exerentia, simul ac eadem subit, perficit, unde in sanguine postmodum rarefactio illa vitalis per spumescentiam, texturam vesicularem, & tubedinem floridam significata oritur. Inesse vero prædictam qualitatem genuinam, multis experimentis edocemur, & gravissimorum virorum autoritate stat firmisimum *vid. Aristot. l. 4. de Cod. Sturm. Colleg. curios. part. 1. & 2.* Interea utramque qualitatem vel leve hoc experimentum ob oculos ponere poterit; si vesica perfunctorie inflata, & vinculo desuper constricta ad ignem detineatur, protinus à calore usque ad rupturam ea intumescit, frigore autem rursus superveniente, tumor remittit, tandemque vesica ad pristinam flacciditatem redire cernitur.

Thes. VI.

Quamvis vero aeris ad respirationem conservandam absoluta sit necessitas; minime tamen putandum est, quemvis aerem huic negotio æque propitium esse, sed requiritur, ut ille neque subtilitate & rarefactione neque crassitie & condensatione excedat, neque particularum salino causticarum, lapidearum, ponderosarum aut gravescentium & foetidarum mole & commixtione conspurcatus sit, secus plus damni, quam emolumenti in eodem versantibus afferret, id quod animalia anthliæ pneumaticæ inclusa, repentina morte sua testantur, postquam una alteraque agitatione emboli, aer
nimum

nimum fuit rarefactus; sicut & murem, machinæ aerem nimis compressum continenti inclusum, æque cito periisse refert *D. de Stair Physiol. nov. experiment. explorat. 19. sect. 16.*

Thes. VII.

Quartum quod concernit, respirationis modus duplici actu absolvitur, scilicet inspiratorio, quorum altero aer admittitur, altero rursus expellitur, quod quidem ita fere succedere solet: Quando actuatam spiritu animali diaphragma à convexo suo versus planum defertur, sive è fornicato suo situ versus abdomen descendit, tunc musculi intercostales, iisdemque subjectæ costæ ad angulos rectos elevatæ sursum feruntur, hinc sequitur thoracis ampliatio, qua ipsa aer thoracem ambiens retrocedere compulsus, eo usque undulatione sua vicinum pellit & verberat, donec inventa porta illabatur, & pulmonum folles expandat, atque hic est modus inspirationis. Quando vero diaphragma in fornicem suam ex plano resilit, sive sursum redit, musculi prædicti in figuram rhomboideam coguntur, costæ descendunt, atque petus angustatur, quod inclusum premit aerem, hic vero rumentis pulmonis superficiem, qua pressa collabuntur, & subsident vesiculæ, & cum his fibræ circulatorum trachealium, sicque aer relicta sua ambrosia, & assumpta fuliginum hâlituosa nube iterum egreditur, atque hic est modus expirationis. Unde discimus inspirationem non tam per attractionem, sed solum aeris illapsu, necessitate continui & circuli aerei contingere, quandoquidem & canes, quorum asperæ arteriæ infra laryngem apertæ, tubulus ab altera extremitate vesicula bubula operta, loco oris instructus, inseritur, per eandem vesicam absque ore & faucibus commode respirare constat, quod experimentum olim à *Magnifico Dn. Doctore VATERO, Præceptore meo ad cineres colendisimo Vittebergæ demonstratum* recorder.

Thes. VIII.

Quintum denique quod attinet, sciendum est, respirationis

tionis usum in œconomia animali revera latissime patere, eumque esse duplicem, primarium atque secundarium, quorum ille principio vitali reficiendo & resuscitando, hic sanguinis perfectioni, ejusdemque circulationi particulari & universali, itemque M. S. cum primis partium pnevmonicarum in statu præternaturali depurationi, ut & lactis chylosi distributioni, atque excernendorum quotidianæ excretioni dicatus est. Etenim aerem inspiratum solummodo intra pulmonum cavernulas hærare, neque qua partem subtiliorem ætheream, ad ipsa vasa horumque fluida, multominus per tunicas investientes ad thoracis cavitatem penetrare posse, ideo probabile non videtur; quatenus 1) flatus per asperam arteriam immissus, etiam ad cordis connexi cavitates, has inflando penetrat, 2) corde aperto sanguis ipse ab eodem flatu spumofus propellitur, 3) liquores tincti per arteriam pulmonalem immissi, etiam per tracheam diffunduntur, 4) pulmonibus aquæ submersis, aer ubivis transiens bullas excitat, 5) effluvia medicamentosa, æque ac maligna & contagiosa inspirando cum aere recepta, sanguinem subeunt, eundemque nunc alterant & recreant, nunc vero contaminant & depravant. *vid. Thruſium Diatrib. de respirat.*

Thes. IX.

Cum ergo integrum hoc respirationis negotium aere & æthere, partiumque pnevmonicarum conformatione singulari fistulosa, tubulosa, vesiculari, spongiosa, & fibrarum nervearum chordis radiantibus perficitur, atque reciproca interpolatione humidum aerem elasticum resorbeat, reddatque; quid vetat, quo minus idem dicamus mechanicum, & nunc folle, nunc compage vesiculari, nunc cum spongia, nunc cum machina pnevumatico-hydraulica comparemus; cum primis, quoniam ejusmodi denominationes, & de hoc negotio conceptus apud venerandam quoque antiquitatem in usu fuisse ex loco *Galenii l. de Nat. & Ord. cujuslib. Corp. s. 2.* constat, ubi hæc verba leguntur: Pulmo in modum fabri ferrarii folliis est constitutus, alter alteri spiritum tradens, & implet pectoris arcana. Ex quo sequitur, respirationem ratione principii moventis & usus functionibus vitalibus, ratione instrumenti

& actionis animalibus accensendam esse; unde quam optime dicitur functio thoracis ex vitali & animali mixta, aeris reciprocationi ad usum vitalem necessariae inserviens. Quae necessitas ad oculum demonstrabitur, si vena in cane, cui aspera arteria fuit abscissa, aperiatur, ubi sanguis admodum lente stillabit, sed aere intra pulmones admissio, mox cum impetu profiliet, & deficientem cum vita animalis circulationem sanguinis redintegabit.

Thes. X.

Quibus de respirationis physiologia praelibatis, ad eundem pathologiam exponendam nunc me accingo, in praesentia respirationem difficilem, sive anhelosam, quae communiter dyspnoea nuncupatur, consideraturus. Atque hujus conceptus formalis consistit in eo, quod sit symptoma functionis partium pnevmonicarum laesae, a defectu liberae reciprocationis substantiae aerae, nunc intemperiei, nunc organi nunc utriusque vitio orta originem trahens. Symptoma dicitur, quia est actio laesa, quae licet a morbo, sicut & alia symptomata, oboriatur, ipsamet tamen morbus non est, neque ad ullum morbi genus potest reduci. Hinc *Galen. l. 1. de diff. recipr. cap. 1.* pulchre ait: quod respirandi difficultas respirationis quaedam laesio sit, velut difficultas sentiendi ipsius sensus & movendi difficultas ipsius motus, ipsum sane nomen, dum Graecis *Δυσπνοία*, latinis respirandi difficultas audit, satis demonstrat. Taceo auctoritates Medicorum clarissimorum, *Galen. qui l. de sympt. diff. c. 3. Sennerti, qui l. 2. Prax. part. 3. c. 2. Sylvii, qui l. 1. Prax. c. 22. & Willisii, qui Part. 2. Pharmac. Rational. sect. 1. c. 2. & 12.* expressis verbis ad symptomatum classem nostrum affectum referunt. Per functionem laesam intelligo totam respirationem, quoad actum inspiratorium & expiratorium, quae si respicias laesionis modum, actionibus depravatis, si respicias actionis frequentiam, actionibus auctis, si respicias impedimentum usus, actionibus imminutis accenseri poterit. Per partes pnevmonicas cum primis hic intellectas volo partes principales, & primario respirationi infer-

inervientes, diaphragma, musculos intercostales & pulmones una cum suis vasis, reliquis minus principaliter & secundario huc concurrentibus non omnimode exclusis, quarum tamen pathologiam, utpote diffusioem & ex accidenti potius respirationi læsionem inferentem, mihi hic considerandam non sumo. Defectum liberæ reciprocationis substantiæ aëreæ in impedimento proportionatæ promptæque inspirationis portionis aëreæ sufficientis consistere arbitror. Per intemperiem denique partium fluidarum inibi conspicuarum, in qualitate & quantitate vitium, per organorum pravam diathesin ad eorundem malam conformationem originalem atque obstructionem, compressionem, angustiam, & atoniam casu quodam supervenientem respicio.

Thes. XI.

Quoniam vero vocabulum dyspnoea late patet, pluribusque respirationem difficilem agnoscentibus pectoris malis commune est, fatente Galeno l. 1. de difficult. resp. c. 1. ideoque & Asthmati, & orthopnoeæ competit, hinc ad præscindendam æquivocationem exponendum est, quidnam hic stricte per dyspnoeam intellectum velim. Quapropter notandum est, in Pathologia tres inveniri affectus, nomen prædictum gerentes, non quidem specie, quam gradibus inter se differentes, quorum primus sive infimus vel minor appellatur dyspnoea vel simpliciter respirandi difficultas; in qua æger quidem crebro, & difficulter sed sine ulla plerumque febre, absque sono & anxietate magna sive anhelatione gravi, spiritum ducit. Secundus vel medius gradus spirandi difficultatis asthma proprie dicitur, in quo æger cum sibilo, stertore, aut anhelatione sonora. ac difficultate majore spiritum crebro ducit, non sine violenta musculorum diaphragmatis, intercostalium, aliorumque concussione. Tertius vero sive supremus gradus orthopnoea vocatur, patientes usque adeo affligens, ut non nisi erecta cervice, thorace elevato, atque erecto corporis trunco, sive stantes, sive sedentes, aërem haurire queant, cum musculorum respiracioni intervientium, pecto-

pectoris quoque ac scapularum vehementi agitatione. Hinc *Celsus l. 4. c. 4* prædictas differentias sequentibus pulchre insinuat: Est circa fauces malum, quod apud Græcos aliud atque aliud nomen habet, pro ut se intendit, omne in difficultate spirandi consistit; sed hæc dum modica est, neque ex toto strangulat, *δυσπνοια* appellatur, cum vehementior est, ut spirare æger absque sono & anhelatione non possit, *ἀδυνα* dicitur. cum accessit id quoque, ut nisi recta cervice spiritus trahatur *ὀδυσπνοια*; quod si vero maximæ spirandi difficultati suffocationis periculum jungatur, nunc strangulatio hysterica, nunc suffocatio hypochondriaca, nunc catarrhus suffocativus nuncupari solet.

Thef. XII.

Primum itaque ex recensitis anhelitus gravis modis gradum dum mihi in præsentiarum sumo, utique silentio prætereundum non est, malum hocce nunc idiopathice, nunc sympathice affligere patientes, ideoque & differentiam subiecti agnoscere, quandoquidem dyspnœa in ipsis partibus pnevmonicis principalibus radicata essentialiter; à partibus vero pnevmonicis secundariis, ut & ab infimi ventris visceribus præternaturaliter constitutis contingens per consensum affligere dicenda est, cui fundamento distinctio inter subiectum hujus mali principale, & subiectum adæquatam innititur. Itaque in dyspnœa idiopathica focus mali intra ipsos pulmones, horumque vasa tam aërifera, quàm sangvifera, asperam quoque arteriam, nec non in diaphragmate, musculisque intercostalibus, cum nervis ejusdem nominis atque phrenicis quærendus, siquidem in his ipsis partibus, hoc symptomate infestatis, & afflictionis causa delitescit; unde anhelantes ex phthisi, peripnevmonia, pulmonum vomica, cancro, empyemate, hydrope pectoris, obstructione, coarctatione, aut induratione tracheæ, articularum ac venarum pulmonalium, paraphrenitide, pleuritide, musculorum intercostalium convulsione spasmodica, aut vulneratione, recte laborare dicuntur difficili respiratione per essentiam. In dyspnœa sym-

pathica vero mali sedes in vertebrarum dorfi laxatione, costarum dislocatione, & fractura, sterni depressione, cum cartilagine mucronata vehementi incurvatione, musculorum pectoralium exterorum actione ob compressionem impedita, intestinorum, vasorum & viscerum, abdominis inflatione, obstructione, convulsione, & systematis nervosi ab affectibus animi, aut dolorum acerbitate vehementi irritatione indagandus, quippe partes enumeratae difficilis respirationis causam fovent, viam suam in partes pneumonicas principales exferentem, sui que praesentiam anhelitus gravitate manifestantem: unde anhelantes gibbosi, rachitici, obesi, tumore mammarum à lacte coagulato praegrandi, simplici aut scirrroso, ut & atheromate, aut steatomate pectoris laborantes, spectris aut subitaneo terrore alio perciti, tristitia & mœre suspirantes, irave aut orgasmo venereo exagitati, aestu febrili langventes, arthritide vaga & fixa excruciat, cruditatibus acido-viscidis, acidove biliosis ventriculi & primarum viarum, flatulentia intestinorum, obstructione alvina pertinaci, scirrhus hepatis, intumescencia lienis, malo hypochondriaco, scorbuto, passione hysterica, mesenterii & pancreatis scirrhus, omenti pingvioris mole, ascite & tympanitide laborantes difficili respiratione per consensum affligi melius dixeris. Quid? quod & notabilis illa hydrophoborum dispnoea commodissime huc referri poterit, quae animalium rabidorum morsus, utcunque aspectu leviores, & disitis longe ab organis pneumonicis partibus infictos sequitur, quippe istius veneni malitia pulmonibus maximopere infesta esse solet, quandoquidem in apertis demortuorum hydrophoborum cadaveribus, pulmones sanguine in vasis ubique stagnante stupendum turgidi, inflammati, siderati, & dissecti sanguine coagulato repleti, praeterea que nihil ferme notatu dignum, quod miseris mortem inferre potuerit, sunt reperti: id quod curiosorum Virorum & in theoria & praxi versatissimorum testimonia comprobant.

Thef. XIII.

Ex dictis patet, omnem dispncam, five sit idiopathica, five sympathica immediate provenire ab impedita partium pneumonicarum principalium textura vesiculari, fibrosa & spongiosa gaudentium, explicatione atque dilatatione, & nervo-muscularum motu tonico five contractione, quibus diversimode læsis, nunc aëri liber denegatur ingressus, nunc ejusdem admissa promta distributio, & quaqua versum transitus, quo fit, ut ille vim suam elasticam exerere, & in quantitate sufficiente organa respirationi dicata subire nequeat: quippe nec potest inflare follis, nec imbibere humidum spongia, nec antlia pneumatica resorbere aërem, nec succedere follium vitalium reciprocatio, si remora se afferat in cavitatibus, tubulis atque poris organorum enumeratorum, ut sanguis cum lympha per poros vel interstitia vesicularum, & fibrillarum membranarum pulmonalium undulans pressioni-bus aëris alterius renitatur. Proinde nullus dubito causam immediatam hujus mali statuere, defectum liberæ reciprocatio-nis substantiæ aëreæ, ortum ab angustia p. n. organorum primariorum, five ea per subsidentiam, five per compressionem, five obstructionem, constipationem, repletionem, infarctum, adstrictionem, five coalitum vesicularum pulmonalium callosum, à cicatricibus post vomitam pulmonum abortis, contigerit.

Thef. XIV.

Causam dispncæ mediatam antecedentem, intemperiem totius corporis in genere, vel pulmonum in specie, & organicum vitium, nunc separatim, nunc conjunctim, dico. Intemperies consistit vel in plethora, modo universali, modo particulari, congestiones periculosas in vasis sangviferis, quin & aliquando rupturas causante; vel in cacochymia pituitoso-viscida, acido viscida, viscido-acri, viscido-acido-austera acri, vel in cacochymia serosa tenui, salsa acri, scorbutica, ut cacochymiam ichorosam, ipsiusque pectoris statum ulcero-sum

sum quocunque modo factum, nec non partium pneumonicarum diathelin flatulentam, vel propria vel aliena culpa enatam, taceam. His enim consideratis, haud difficulter cognosci poterit, qui dyspnœa convulsiva, & humida, hereditaria & adventitia, periodica & continua, idiopathica & sympathica contingere queat. Qua occasione notari meretur dyspnœa chronica mulieris sexagenariæ, quæ referente *D. Albrecht Misc. Curios. Dec. 2. Ann. I. Obs. LXXX.* aliquando suffocationi proxima, tussi voluntaria instituta, vitæ periculum effugere contendens, post labores summos ejecit vesicam magnitudine pomum borsdorffianum adæquantem, flatuque plenam, quæ propter glutinositatem tenacissimam vix rupturam admisit. Organicum vitium consistit in organorum pneumonicorum activorum & passivorum conformatione læsa, vel statim à generatione præsentem, vel postmodum casu quodam superveniente, cujus jam supra in thesi 12. mentio facta est, ad quam insuper refero cartilagineas costarum partes in osseam substantiam induratas. *vid. Bonnet. Sepulchret. l. 2. Sect. I.* venam pulmonalem lapidescentem ac prope suam in cordis substantiam insertionem, sanguini transitum præcludentem, pulmonum substantiam induratum, & vitri cocti ad instar fragilem, lapillos varii coloris, figuræ & magnitudinis, asperæ arteriæ incumbentes, ipsamque comprimentes substantiam tophaceam durissimam, pulmonis substantia firmiter adnatam ab intempestiva inunctione mercuriali *vid. Schenck. Observ. Med. l. 2.* loborum pulmonalium exarescentiam, & in eorum bronchia attractionem *vid. Bonnet. loc. cit.* item ulcera, apostemata, polypos, atque scirrhus pulmones cum vasis arteriosis & venosis infestantes, à quibus sæpè numero organa pneumonica coarctari, experientia clinica comprobatur.

Thes. XV.

Ex causis remotioribus naturalibus, huic affectui velificatur cum primis temperamentum pituitoso-ferosum, habitus corporis, thoracis maxime, pingvior, sexus fæmininus, & ætas senil-

senilis.
comate
hydrops
intemper
tropicita
tentis ad
bus aër t
denlus,
salino ac
ve lapid
darum
13. Ram
juxta H
fior, &
excede
subitan
que in
celerat

Pe
& prop
set illu
Verum
gradus
ca & pr
rere. N
norum
duntaxat
tionem la
& quod in
aerem adm
febre, ubi
existente,
acii, inter

senilis. Ex præternaturalibus oris, narium & faucium, à farcomate, vel alia quadam substantia duriore obturatio, febres, hydrops, glandularum viscerumque obstructions, & scirrhii, intemperies pulmonum sicca, scabies, podagra, erysipelas retropulsa, una cum vulneribus partibus continentibus, & contentis ad thoracem spectantibus influctis. Ex non naturalibus aër tam nimium rarefactus & tenuis, quam crassus & densus, calidior, frigidior, nebulosus, particulis sulphureis, salino acidis, fumis atque vaporibus impuris fœtidis, atomisve lapideis inquinatus, à quibus metallifossorum, & lapidarum dyspnœa dependet. vid. *Diemerbroeck. l. 2. Anat. cap. 13. Ramazin. Tr. de morb. artific.* Porro autumnus & hyems juxta *Hippocrat. aphorif. 22. Sect. 3.* cibus & potus crudior, crassior, & flatulentus, somnus & vigilia, motus & quies, modum excedentes, excernenda retenta, aut retinenda excreta, ut & subitanæ gravioresque animi commotiones, quarum quoque in *Thef. 12.* facta fuit mentio, prædictum affectum accelerare possunt.

Thef. XVI.

Perspectis igitur causis, nunc ad hujus mali diagnofin & prognofin me convertere teneor; ubi quidem objici posset illud: ubi rerum, testimonia adsunt, non opus est verbis. Verum, quia juxta superius monita difficilis respirationis tres gradus existunt, utique operæ pretium erit in signa diagnostica & prognostica specialia, dyspnœæ propria, accuratius inquirere. Nimirum sub mitiøre respirandi difficultate, ab organorum respirationi dicatorum culpa proveniente, spiritus duntaxat densus, isque modice, citra sonum atque anhelationem laboriosam, cum aliquali pectoris quantitate apparet, & quod inspirationis viæ minus oppilatæ paulo liberius adhuc aerem admittunt, adest quædam ad motum pigritia, sed sine febre, ubi dyspnœa convulsiva ab exhalationibus flatulentis existente, tussicula simul sicca, si vero ab humore viscido-acci, interiores trachæ parietes obducente, oriatur, tussis plus

plus minus humida simul adesse, & ab excreatione materiz difficultatis levamen deprehenditur. Quod si autem alius cujusdam visceris culpa, per peculiarem nervorum consensum, dispnoea affligat, ea periodica magis erit, & notabile liberius respirandi spatium afflictus concedet, quo in casu ipsa partis mandantis functio læsa intestinam molestiam edocebit. Sic Dispnoea stomachalis cum cardialgia, inflatione ventriculi dolorifica, tusi, mucii visceri excreatione, nausea, atque vomendi conatu excruciare solet: Scorbutica aut hypochondriaca cum ructibus & inflatione ventriculi, hypochondriorum dolore tensivo, colica frequenti, ventris rugitu, palpitatione cordis, anxietate præcordiali, oris siccitate, pavibusque in somno affligit: Hysterica subito invadit, per aliquot horas durat, cum obstructione mensium sæpe numero conjuncta est, & tusi destituitur: Hepatica demum ex dolore gravativo tensivo hypochondrii dextri cognoscitur, quoniam hoc viscus ibidem per ligamentum suspensorium diaphragmati annexum est. Quoad prognosin, sciendum, quamcunque dyspnoeam esse periculosam, haud raro chronicam, curatu difficilem, speciatim idiopathicam sympathicam periculosiorem: hæreditariam ab inveterata pulmonum labe dependentem, aut à gibbositate, rachitide, aliave mala pectoris conformatione, obesitate corporis exsuperante, à pleonexia serosa illorum, qui catarrhis assidue vexantur, productam, incurabilem: ab animalis rabidi morfu inductam, febri ardenti malignæ, aut puerperarum acutæ supervenientem, ut plurimum lethalem. Ea demum, quæ ex diathesi morbosa aliorum viscerum oritur, sponte cessabit, si illa fuerit curata; nisi illi ipsi morbi sint incurabiles, ubi solummodo cura palliativa locum invenit.

Thes. XVII.

Quod denique curam hujus mali concernit, primum monendum duco, me, ob brevitatis studium, hic non sollicitum fore de curanda dispnoea à partium pnevmonicarum vitio organici.

ganico, neque de ea, quæ sympathica audit; sed solummodo, quemadmodum respiratio difficilis, quæ spirituosum principium varie afficitatum, atque intemperiem causas agnoscit, veniet tractanda. Quodsi igitur repentinus terror, tristitia gravis, iræ, amoris & dolorum furæ anhelitum gravem induxerint, animus blandis solatiis demulcendus, vino generoso, aliisque analeptics spirituosis erigendus, corporis animique quies, somno mediante, procuranda, & spiritus furibundi per antifebrilia sedativa atque anodyna in- & externa, evacuantibus & alterantibus, pro exigentia causæ principalis maritata coercendi. Sin intemperies culpam ferat, tam præsentis vitio quantitatis, evacuationi, qualitatis, correctioni, utriusque simul, utriusque, methodo studendum, crassitiam scilicet fluidorum attenuando, acrimoniam obtundendo, visciditatem abstergendo, motum ad pulmones avertendo, status discutiendo, partibus affectis robur conciliando, & demum viribus convenienti victus ratione prospiciendum. Inter evacuantia chirurgica, eaque simul revellentia in statu plethorico universali convenit V. S. in pede instituenda, in particulari in brachio adornanda, cujus vicem in debilioribus, tenerioribusve cucurbitulæ scarificatæ supplere poterunt. In cacochymia serosa & pituitosa vesicatoria, frictions, & fonticuli in usum vocentur, ita quidem, ut si a capite latex serosopituitosus depluat, in brachiis; sin hepar aut lien occasionem præbeat, in cruribus vesicæ & fonticuli excitentur. Ex fonte pharmaceutico huc spectant vomitoria ex antimonialibus rite præparatis, ex radice ipecacuanha, aut asaro parata, ut & purgantia gummosa & resinosa, cum salinis incidentibus antiscorbuticis combinata, ubi M. P. de succin. Crat. & ꝙr. dulc. miranda præstat. Reliquis indicationibus cum remediis acris, amaris, acris acidis, aromaticis oleosis volatilibus, roborantibus, balsamicis, & præcipitantibus lapidosis pro circumstantiarum medicarum exigentia, quam optime satisfiunt; ex quorum censu gumm. ammoniac. rad, Sqill. herb. hyssop. marrub. cum præparatis, Elix. pect.

Magn.

excreatione materia
 Quod si autem alia
 nervorum confen
 erit, & notabile li
 det, quo in casu ipsa
 molestiam edocet
 inflatione ventric
 ione, nausea, atque
 scorbutica aut hypo
 ventriculi, hypochon
 ti, ventris rigitu, pal
 oris siccitate, pavon
 subito invadit, per al
 mensium sæpe numero
 tica demum ex dolo
 ri cognoscitur, quo
 m suspensorium dia
 rognosin, sciendum
 m, haud raro chro
 pathicam sympathi
 veterata pulmonum
 achitide, aliave mala
 oris exsuperante, à
 his asidue vexantur
 bidi morsu inducunt
 m acuta supervenien
 num, quæ ex diathesi
 onte cessabit, si illa sus
 curabiles, ubi lolium

i concernit, primum no
 idium, hic non sollicitum
 pnevmonicarum vitio co
 gaz

Magn, D. D. Vateri, Proprietat. cum & sine acid. mixt. simplic.
 spir. vitriol. mart. & virid. Æris Zwelf. TR. $\frac{1}{2}$ tartarif. liq. C. C.
 succin. Eff. lign. TR. Corall. sperm. cet. c. croc. or. TR. antiscor-
 but. sal. volat. oleof. Sylvii, Balf. vit. Schrœderi, cinnabarina c.
 $\frac{1}{2}$ libus fixis atque nervinis mixta præ reliquis etiam atque et-
 iam commendo. Tandem quæ de regimine diætæ dicenda
 restant, ea B. L. ex superioribus, quando de causa antece-
 dente rebusque non naturalibus actum est, haud
 difficulter supplere poterit.

S. D. S.

F I N I S.




e materia
 utem alia
 m confes
 otabile li
 n calu ipi
 n edocet
 e ventric
 sea, atq
 aut hyp
 hypochro
 rugitu, p
 te, pav
 dit, per
 pe numer
 m ex do
 car, que
 brium dia
 sciendum
 ro chro
 ymptia
 lmonum
 ave mala
 erante, a
 vexantur
 inducunt
 pervenit
 ex diab
 fi illa fra
 si lolum

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A		1		3		5		8		11		15		17		19
	R		G		B		W		K		Y		C		M	



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

